

## DIALOGUS DE ORATORIBUS

monium, quem Cretensem accepimus? quarum civitatum  
severissima disciplina et severissimae leges traduntur. ne  
Macedonum quidem ac Persarum aut ullius gentis, quae  
certo imperio contenta fuerit, eloquentiam novimus. Rhodii  
5 quidam, plurimi Athenienses oratores extiterunt, apud quos  
omnia populus, omnia imperiti, omnia, ut sic dixerim, omnes  
poterant. nostra quoque civitas, donec erravit, donec se 4  
partibus et dissensionibus et discordiis confecit, donec nulla  
fuit in foro pax, nulla in senatu concordia, nulla in iudiciis  
10 moderatio, nulla superiorum reverentia, nullus magistratum  
modus, tulit sine dubio valentiores eloquentiam, sicut indo-  
mitus ager habet quasdam herbas laetiores. sed nec tanti rei  
publicae Gracchorum eloquentia fuit, ut pateretur et leges,  
nec bene famam eloquentiae Cicero tali exitu pensavit.

15 Sic quoque quod superest tantiquis oratoribus forum 41  
non emendatae nec usque ad votum compositae civitatis  
argumentum est. quis enim nos advocat nisi aut nocens aut 2  
miser? quod municipium in clientelam nostram venit, nisi  
quod aut vicinus populus aut domestica discordia agitat?  
20 quam provinciam tuemur nisi spoliata vexataque? atqui  
melius fuisset non queri quam vindicari. quod si inveniretur 3  
aliqua civitas, in qua nemo peccaret, supervacuum esset inter  
innocentis orator sicut inter sanos medicus. quo modo  
tamen minimum usus minimumque profectus ars medentis  
25 habet in iis gentibus, quae firmissima valetudine ac salu-  
berrimis corporibus utuntur, sic minor oratorum honor ob-  
scuriorque gloria est inter bonos mores et in obsequium  
regentis paratos. quid enim opus est longis in senatu sen- 4  
tentiis, cum optimi cito consentiant? quid multis apud popu-